

Leistungskurs Bayern 1987

Gedanken zur Freundschaft

(Cic., de amicitia 18, 65-68)

Verum est illud, quod initio dixi, amicitiam nisi inter bonos esse non posse. Est enim boni viri, quem eundem sapientem licet dicere, haec duo tenere in amicitia: primum, ne quid fictum sit neve simulatum - aperte enim odisse magis ingenui est quam fronte (1) occultare sententiam - ; deinde non solum ab aliquo allatas criminationes repellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum (2) semper aliquid existimantem ab amico esse violatum (3). Accedat huc suavitas quaedam oportet sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiae. Tristitia autem et in omni re severitas habet illa (4) quidem gravitatem, sed amicitia remissior esse debet et liberior et dulcior et ad omnem comitatem facilitatemque proclivior.

Exsistit autem hoc loco quaedam quaestio subdifficilis, num quando amici novi, digni amicitia, veteribus sint anteponendi, ut equis vetulis teneros anteponere solemus. Indigna homine dubitatio! Non enim debent esse amicitiarum sicut aliarum rerum satietates; veterrima quaeque, ut ea vina, quae vetustatem ferunt, esse debet suavissima.

Verumque illud est, quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit. Novitates autem si spem adferunt, ut (5) tamquam in herbis non fallacibus (6) fructus appareat, non sunt illae quidem repudiandae, vetustas tamen suo loco conservanda; maxima est enim vis vetustatis et consuetudinis. Quin etiam in ipso equo, cuius supra feci mentionem, si nulla res impediatur, nemo est, quin eo, quo consuevit, libentius utatur quam intractato et novo. Nec vero in hoc, quod est animal, sed in iis etiam, quae sunt inanima, consuetudo valet, cum locis ipsis delectemur, montuosis etiam et silvestribus, in quibus diutius commorati sumus. (254 Wörter)

-
- | | |
|-------------------------|---|
| (1) fronte | hier: hinter der Stirn |
| (2) suspiciosus, a, um | hier: argwöhnisch, misstrauisch |
| (3) violare aliquid | hier: irgendeine Verfehlung begehen |
| (4) habet illa | Nimmt „tristitia ... et ... severitas“ im Singular auf. |
| (5) spes, ut | hier explikativ: die Hoffnung, dass |
| (6) herbae non fallaces | die frisch keimende Saat |